

tamen, atque praesidium; hinc est, quod piorum Virorum et potissimum Confratrum Ven. Archiconfraternitatis S. Mariae Orationis de Urbe, qui prae laudatum S. Archangelum suum in specialem Protectorem venerantur, enixis precibus benigne annuens, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito, ac devote Hymnum, Responsorium, et Antiphonam, ut infra, recitaverint, Indulgentiam biscentum dierum qualibet die benigne concessit. Iis vero, qui per integrum mensem hujusmodi preces quotidie fuderint, Indulgentiam Plenariam semel in quolibet mense die videlicet uniuscujusque arbitrio eligendo, in qua vere poenitentes confessi ac S. Communione refecti fuerint et per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint clementer impertitus est. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 6 Maii 1817.

Angelus Costaguti Secret.

HYMNUS

*Te splendor et virtus Patris
Te vita Jesu Cordium
Ab ore qui pendent tuo
Laudamus inter Angelos.
Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat victor Crucem
Michael Salutis Signifer.
Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara
Ducemque cum rebellibus
Coelesti ab Arce fulminat.
Contra ducem superbiae
Sequamur hunc nos Principem
Ut detur ex Agni Throno
Nobis corona gloriae.*

*Patri simulque Filio
Tibique Sancte Spiritus
Sicut fuit sit jugiter
Saeculum per omne gloria. Amen.*

Antiphona

Princeps gloriosissime, Michael Archangele esto memor nostri, hic et ubique semper deprecare pro nobis Filium Dei. Alleluja, Alleluja.

V. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

R. Adorabo ad Templum Sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

OREMUS

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas; concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in Coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniat. Per Dominum etc.

CD.

URBIS

Inter obsequia, quae Sacrosanctis Religionis nostrae divinis Mysteriis Christifideles deferre consueverunt, illud potissimum Deo pergratum, et iisdem utile accidit, ut Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi Mysteria recolentes, et abstrahantur a noxiis, et ad salutaria dirigantur. Qua de re Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII ad augendam fidelium devotionem, fovendamque et excitandam memoriam erga Monumenta Passionis Christi, et maxime praeclarum illud Schalae Sanctae, in qua Redemptor Dominus per singulos illius gradus non semel tantum ascendit, et Sanguine Suo pretioso consecravit; volensque ut dignis frequentetur honoribus, et simul fideles ad illud confluentes beneficia majora pertrahant, nec non ad defunctorum fidelium levamen, et solatium redundet; reserandos propterea Sibi esse thesauros Ecclesiae censuit, ac supplicationibus Capituli et Canoniorum Patriarchali Lateranensis Basilicae super hoc porre-

ctis, atque inhaerendo concessionibus fel. rec. Leonis PP. IV et Paschalis PP. II Praedecessorum suorum, qui singulis utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito orantibus, vel meditantibus Passionem D. N. Jesu Christi, et praeaudatam Schalam Sanctam flexis genibus ascendentibus Indulgentiam novem annorum pro qualibet gradu concessere. Easdem Indulgentias Idem Sanctissimus non modo perpetuis futuris temporibus, et absque ulla Brevis expeditione valituras confirmavit, sed quatenus opus sit de novo impertitus est; et ut animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint in Domino pariter concessit. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 2 Septembris 1817.

J. PH. CARD. SCOTTI PRO-PRAEF.
Angelus Costaguti Secret.

CDI.

URBIS ET ORBIS

Pia Summorum Pontificum cura omnium salutem prospiciens de thesauris Ecclesiae Indulgentias nedum viventibus fidelibus, sed per earum applicationem etiam in Domino defunctis ad relaxationem poenae singulis temporibus elargiri consuevit; eo fortasse pietatis obtentu, ut exutae corporibus animae, quae remissionem sibi emereri non valeant, militantis Ecclesiae collatis suffragiis consequerentur. Volens igitur Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII ex Pastoralis Officio et Charitate animarum salutem paternam consulere, omnes fideles ad B. Mariae Virginis devotionem invitat, ut ipsa Dei Mater Ejus intercessione validissima, tam fideles in hac vita degentes a malis imminentibus liberare, quam illos ex isto corporis Ergastulo solutos a Purgatorii poenis eripere dignaretur. Nonnullorum piorum Virorum supplicationibus inclinatus, Indulgentiam biscentum dierum a fel. rec. Sixto V et Benedicto XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, quoties Litanias B. M. Virginis corde saltem contrito ac devote recitaverint, concessam, non modo confirmavit, verum

etiam ad tercentum dies pro qualibet vice extendit: Insuper eisdem Christifidelibus, Litanias praefatas quotidie recitantibus, dummodo vere poenitentes, confessi ac S. Communionem refecti fuerint et juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, Indulgentiam Plenariam in quinque ejusdem B. M. V. festivitibus de praecepto in Calendario Romano descriptis lucranda, dummodo aliquam publicam Ecclesiam devote visitaverint clementer est elargitus, easdem Indulgentias tam Plenariam, quam Partialem, animabus fidelium defunctorum, ut ad aeternam salutem, per Dei Misericordiam, et Ejusdem B. M. V. merita perducere valeant, applicari etiam posse, et perpetuis futuris temporibus valituras, absque ulla Brevis expeditione peramanter concessit.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1817.

G. CARD. AB AURIA
Angelus Costaguti Secret.

CDII.

Beatissimo Padre

I devoti del Sacro Cuore di Gesù il dì 15 Marzo 1809 ottennero dalla S. V. ad septennium per una volta l'anno l'Indulgenza di 300 giorni per ogni dì della Novena e Plenaria in un giorno della medesima e fra l'ottava a chiunque de' fedeli che confessato e comunicato avesse fatto in onore del Santissimo Cuore di Gesù la tanto lodata Novena del P. Borgo per uso delle persone Religiose e Secolari. È già da un anno terminato il settennio senza che sieno state confermate l'Indulgenze suddette con discapito de' fedeli vivi e defonti. Inoltre non essendo stato ben inteso il sopradescritto Rescritto si è annunciato al pubblico con varie ristampe che l'Indulgenza era in perpetuo e che si poteva lucrare due volte l'anno, cioè nella Novena precedente la festa del S. Cuore, un'altra volta fra l'anno ad arbitrio. A riparo per tanto di tali difetti è umilmente pregata la S. V. dai Devoti del S. Cuore di Gesù a degnarsi benignamente accordare in perpetuo la sudd. Indul-

genza Plenaria e Parziale tanto nella Novena precedente la festa del Sacratissimo Cuore di Gesù, quanto in altra che se ne faccia fra l'anno.

Sanctissimus D. N. Pius PP. VII supraenunciatas Indulgentias tam in Novendiali festum Sanctissimi Cordis Jesus praeedenti, quam in alio infra annum uniuscujusque arbitrio peragendo perpetuis futuris temporibus valituras pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus benigne confirmavit et quatenus opus sit, de novo concessit absque ulla Brevis expeditione, cum facultate etiam supradictas Indulgentias in suffragium fidelium defunctorum applicandi, servato in reliquis tenore primae concessionis.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 13 Januarii 1818.

J. PHIL. CARD. SCOTTI
Angelus Costaguti Secret.

CDIII.

ANCONITANA

Cum ad Sac. Indulgentiarum Congregationem delatum fuerit quaesitum « *An Ecclesia olim FFr. Minorum gaudeat Indulgentiis Ordini praefato concessis, cum idem Ordo non amplius extiterit* » Et hinc proposita dubia: 1.^o « *Utrum Ecclesia Ord. Min. nunc devoluta Ordinario propter circumstantias, in qua Sacra faciunt Sacerdotes Saeculares, fruatur iisdem Indulgentiis, ut primum, praecipue illa de Portiuncula?* » 2.^o « *Utrum Ecclesia Ord. Minor. utique vendita, sed Sacerdoti Ord. Min. sine habitu Religionis tradita, gaudeat pariter Indulgentiis supradictis?* » 3.^o « *Utrum Ecclesia Ord. Min. pariter vendita, ab acquirente curatur, ut Sacra in ipsa aliquando fiant a Presbytero Saeculari, quaeritur an supradictis fruantur Indulgentiis?* » Eadem Sac. Congregatio particulariter habita die 15 mensis Januarii anni 1818, auditis Consultorum votis, re mature perpensa fuit in voto « Negative ad Primum, quoad Indulgentias concessas generaliter vel specialiter omnibus Christifidelibus visitantibus Ecclesias Ord. Min. et ideo etiam quoad illam de

Portiuncula; et similiter « Negative, quoad Secundum et Tertium ». De quibus facto verbo cum Sanctissimo in Audientia habita die 10 Februarii 1818 Eadem Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne confirmavit. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 10 Februarii 1818.

J. PH. CARD. SCOTTI
Angelus Costaguti Secret.

CDIV.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces Sacerdotis Fr. Joannis Adalberti Ridruchi Congregationis Sanctissimi Redemptoris in Helvetia Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII benigne inclinatus, ipsiusque zelum maxime commendans, qui ad profectum animarum fidelium et ad Omnipotentis Dei misericordiam implorandam, nec non Beatissimae Virginis Mariae Patrocinium obtinendum, aliquas Indulgentias pro recitatione infrascriptarum precum a Christifidelibus lucrificandas postulaverit; universis utriusque Christifidelibus, qui preces videlicet « *Oratio ad Deum Patrem* » *O Pater*, et inde Jaculatoriam ad B. M. V. *O Beatissima* (ut infra) corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentias quadraginta dierum, semel in die ab unoquoque lucranda benigne concessit. Iis vero Christifidelibus, qui quotidie per mensem supraenunciatas preces recitaverint, Indulgentiam Plenariam die uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi ac S. Communionem refecti fuerint, et aliquam publicam Ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint clementer etiam impertitus est. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 21 Aprilis 1818.

Angelus Costaguti Secret.

ORATIO AD DEUM PATREM

O Pater misericordiarum, fons omnis boni! Te supplex exoro per Sacratissimum, Tuique amantissimum Cor Jesu dilectissimi Filii tui Domini et Redemptoris Nostri, in quo tibi semper bene complaces, dignare concedere mihi N. N. gratiam vivae Fidei, firmæ Spei, et ardoris Charitatis erga Te et proximum meum; insuper gratiam vere dolendi de omnibus peccatis meis una cum firmissimo proposito Te in posterum numquam offendi: ut secundum Divinum Beneplacitum tuum semper vivere, voluntatem tuam Sanctissimam corde magno, et animo volenti in omnibus adimplere, et in amore tuo usque in finem vitæ meae perseverare valeam. Amen.

JACULATORIA AD B. VIRGINEM MARIAM

O Beatissima Virgo Maria Mater Domini, et Redemptoris mei! Te ergo quaeso, te precor, fac per misericordiam tuam ut in omnibus periculis et necessitatibus animæ meæ ad te confugiam, te orem, te invocem in auxilium mihi.

CDV.

URBIS ET ORBIS

Quum Superior et Sacerdotes Ven. Piae Unionis S. Gallæ de Urbe enixe deprecarentur, aliquas impertiri Indulgentias a Christifidelibus infrascriptam Jaculatoriam recitantibus, videlicet « *Fiat, laudetur, atque in æternum superexaltetur justissima, altissima, et amabilissima voluntas Dei in omnibus* » vel italico idiomate « *Sia fatta, lodata, ed in eterno esaltata la giustissima, altissima ed amabilissima volontà di Dio in tutte le cose* » Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII quam Deo gratum, quamque fidelibus utile hoc pium exercitium agnoscens, Oratorum precibus benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui praelaudatam Jaculatoriam corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam centum dierum semel in die ab unoquoque acquirendam benigne concessit. Iis vero,

qui quotidie pium hoc peregerint exercitium, Indulgentiam Plenariam semel in anno, die videlicet uniuscujusque arbitrio eligenda, in qua vere poenitentes confessi, Sacraque Communionem refecti fuerint et per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, est elargitus, ac iis qui saepe in vita dictam sacram recitationem absolverint, Indulgentiam Plenariam in mortis articulo lucrandam, dummodo rite dispositi fuerint et mortem de manu Dei aequo animo exceperint, clementer est impertitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione, etiam cum facultate praememoratas Indulgentias in suffragium fidelium defunctorum applicandi.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 19 Maii 1818.

Angelus Costaguti Secret.

CDVI.

Ad humillimas preces Nobilis Foeminae Catharinae Soymonoff Gagarin, Civitatis *Pietroburgo* nuncupat. Imaginem Sanctissimi Cordis Jesu de suo Patronatu in publica aliqua Ecclesia fidelium venerationi, ac cultui exponere volentis, proindeque nonnullas a Christifidelibus de thesauro Ecclesiae Indulgentias eandem Imaginem visitantibus lucrificandas obtinere cupientis, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII Oratricis precibus benigne inclinatus omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui praelaudatam S. Iconem decenter collocandam in una publica Ecclesia, ab Ordinario loci, vel Vicario Apostolico pro unica tantum vice designanda devote visitaverint, et Symbolum Apostolorum, videlicet, *Credo* cum versiculo « *Dolce Cuor del mio Gesù, fa ch'io t'ami sempre più* » et unum *Pater et Ave*, corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum in qualibet die ab unoquoque acquirendam, benigne concessit. Iis vero Christifidelibus, qui quotidie per mensem praefatas preces effuderint, Indulgentiam Plenariam in festo Sanctissimi Cordis Jesu incipien. a primis vespere usque ad occasum solis dicti diei, dummodo vere poenitentes, confessi ac Sacra

Communionem refecti fuerint, et praefatam Ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, clementer etiam impertitus est. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 19 Maii 1818.

Angelus Costaguti Secret.

CDVII.

Cum ad Sac. Congregationem Indulgentiarum delatum fuerit quaesitum « *An Religiosus, vel Monialis gratis spiritualibus, Indulgentiis videlicet, quae a Summis Pontificibus olim familiae concessae reperiuntur, jus suum amittant?* » Eadem Sac. Congregatio particulariter habita, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa respondit « *Non amittere* ». De quo facto verbo cum Sanctissimo per me infrascriptum Secretarium, Eadem Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne confirmavit in Audientia diei 16 Junii 1818. Datum Romae ex eadem Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 17 Junii 1818.

Angelus Costaguti Secret.

CDVIII.

URBIS ET ORBIS

Inter tot et tanta quae Omnipotens et Misericors Deus humano generi contulit beneficia, majus et excelsius est salutiferum et mirabile Eucharistiae Sacramentum a Christo Domino institutum, ut arctius Charitatis Suae immensitas fidelium cordibus infigeretur, convenit praeterea, ait S. Thomas, fidelium devotioni solemniter hujus Sacramenti Institutionem recolere, ut ineffabilem modum Divinae Praesentiae in invisibili Sacramento veneremur, utque Dei Potentia laudetur, quae tot mirabilia in eodem Sacramento operatur, nec non et de tam salubri ac suavi beneficio debitae Deo Gratiarum actiones exolvantur, Hinc est quod Summi Pontifices fideles ipsos ad hoc obsequium praestandum spiritualibus Gratiis et Indulgentiis saepe pluribus mo-

dis excitaverint. Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII exoptans pariter ut a fidelibus tantum hoc Sacramentum saepe debitis veneretur honoribus, et memoria hujus Institutionis jugiter recolatur; nonnullorum piorum Ecclesiasticorum Virorum precibus benigne annuens non solum confirmavit eo modo, et forma Partialem et Plenariam Indulgentiam a fel. rec. Pio VI concessas rite dispositis Christifidelibus recitantibus Eucharisticum Encomium « *Sia lodato e ringraziato ogni momento il Santissimo e divinissimo Sacramento* », vel quatenus opus sit de novo in perpetuum concessit; verum etiam Indulgentiam centum dierum pro universis Christifidelibus, quum tempore expositionis Sac. Eucharistiae Sacramenti in Oratione Quadraginta horarum, vel alia de causa peragenda signum campanae per singulas horas atque tempore benedictionis cum Sanctissimo Sacramento in quacumque Ecclesia dari solitum audiverint, et supramemoratum Eucharisticum Encomium corde contrito ac devote recitaverint, benigne pro unaquaque vice lucranda extendit. Voluitque Sanctitas Sua Indulgentiam hanc animabus fidelium defunctorum per modum suffragii posse applicari, et perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione valituram.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Junii 1818.

Angelus Costaguti Secret.

CDIX.

URBIS ET ORBIS

Ex debito Pastoralis Officii ex alto commissi libenter intendentes Romani Pontifices ad Ea per quae erga Augustissimum Sacramentum Eucharistiae Divinus cultus fideliumque devotio ubique suscipiat incrementum fideles ipsos ad aliqua pia opera in obsequium et venerationem hujus Sacramenti exercenda spiritualibus donis invitando, nonnullas Indulgentias saepe saepius concessere atque ampliaverunt. Ita Urbanus IV per suam Bullam incipientem « *Transiturus* » qua festivitatem Corporis Domini instituit, Martinus V, Eugenius IV, Paulus V, Innocentius, XI et XII,

Benedictus XIV et Pius VI. Ut autem memoria hujus Sacramenti institutionis pro tantis beneficiis humano Generi a Christo Domino collatis jugiter recolatur, et ut a Christifidelibus Redemptori Nostro pro tantis donis debitae gratiarum actiones exsolvere nunquam cessetur, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII praeter Indulgentias, sub die 30 Junii 1818 pro Eucharistico Encomio « *Sia lodato e ringraziato ogni momento il Santissimo e Divinissimo Sacramento,* » concessas, nonnullorum Episcoporum ac Ven. Collegii Parochorum Urbis enixis precibus benigne inclinatus: omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito, ac devote Hymnum *Pange lingua* cum suo versiculo et oratione recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum; qui vero *Tantum Ergo* solummodo cum suo versiculo pariter et oratione protulerint Indulgentiam centum dierum semel in qualibet die ab unoquoque lucranda benigne concessit. Iis vero Christifidelibus, qui frequenter vel saltem decies per mensem unum vel alterum pium exercitium peregerint, Indulgentiam Plenariam semel in anno, die unicujuscumque arbitrio eligenda, et in festo Corporis Christi vel in ejus Octava semel tamen spatio praefatorum dierum lucranda, nec non in Feria V in Coena Domini, dummodo vere poenitentes confessi ac S. Communione refecti fuerint, et aliquam publicam Ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, peramenter elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua has Indulgentias tam Plenarias, quam Partiales etiam in suffragium fidelium defunctorum applicabiles, et perpetuis futuris temporis fore valituras absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 25 Augusti 1818.

*Pro R. P. D. Angelo Costaguti Secret.
Petrus Can. Torraca Substitutus.*

CDX.

La Santità di Nostro Signore Pio Papa VII nell'Udienza del di primo Settembre 1818 si è degnata di concedere in pepe-

tuo, che tutte le Indulgenze e remissioni dei peccati, già concesse da' Sommi Pontefici suoi Predecessori a tutti i fedeli Cristiani dell'uno e dell'altro sesso che veramente pentiti, confessati e comunicati, pregando secondo l'intenzione del Sommo Pontefice visiteranno le sette Chiese di Roma, cioè di *S. Pietro in Vaticano, di S. Paolo, di S. Sebastiano fuori delle mura, di S. Giovanni in Laterano, di S. Croce in Gerusalemme, di S. Lorenzo fuori delle mura, e di S. Maria Maggiore*, come altresì tutte le Indulgenze parimenti da' suoi Predecessori concesse ai fedeli medesimi i quali come sopra visiteranno i sette altari Privilegiati in S. Pietro in Vaticano, o in qualunque delle sopradette Chiese esistenti, possano anche applicarsi per modo di suffragio alle sante anime del Purgatorio.

Dato in Roma dalla Segretaria della Sacra Congregazione delle Indulgenze. Questo di 4 Settembre 1818.

I. F. CARD. SCOTTI PRO PEF.

*Per Monsig. D. Angelo Costaguti Segret.
Pietro Can. Torraca Sostituto.*

CDXI.

Proposito dubio « *Utrum Indulgentiae Viae Crucis adnexae uti coeterae possint noctu obtineri, opera injuncta adimplendo?* » Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita, auditis Consultorum votis respondit « *Affirmative* » sub die 1 Martii 1819.

Angelus Costaguti Secret.

CDXII.

NOVARIEN.

Quum sicut Episcopus Novarien Servorum Mariae Ordinem in sua Dioecesi minime existere, nec ullam sub hoc titulo Confraternitatem hac de causa erigi posse exposuerit, proindeque ad majorem Dei cultum et B. M. devotionem augendam facultatem postulaverit erigendi Confraternitates seu Uniones sub titulo B. M. V. Septem dolorum, ac iisdem communicandi Indul-